



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illustrium Virorum Poemata

Amstelodami, 1672

Cleopatra In Hortis Vaticanis Ad Christinam, Suecorum, Gothorum,
Vandalorum Reginam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11215

Tum mihi, tum magnis pia vatibus arma viciffim
 Canentur arma, fortiumque dexteræ,
 Queis feret auspicius Solymæo dona sepulcro
 Ab occidente vectus hospes ultimo.
 Medus ALEXANDRO tunc demum ac Thracia supplex
 Sacros fidelis osculabitur pedes.

C L E O P A T R A
 I N H O R T I S V A T I C A N I S

A D

C H R I S T I N A M,

Suecorum, Gothorum, Vandalorum Reginam.

S I te spectaclum infelix, si tristia tangunt
 Fata meæ duro benè sculptæ in marmore sortis,
 O nostros dignata lares invifere mundi
 Cardine ab extremo, patriâ regnoque relictis,
 R E G I N A, herôum nulli virtute fecunda,
 Aurea quos olim tulit ætas, maxima Olympi
 Numina cùm humanos non dedignantia cætus
 Tecta frequentabant mortalia, castaque gentis
 Pectora non falsæ complebant laudis amore;
 Huc ades. Illa ego sum Latiis celeberrima fastis
 Femina. Nosti angues, animumque in morte ferocem,
 Quò properas? Saltem alloquio solare dolentem
 Reginam Regina; nec est indigna videri
 Forma loci, & sacris regio gratissima Musis,
 Quæ nemo hoc, fontesque colunt, jugaque alta, viretis
 Cyrrhæ posthabitis, & verticibus Parnassi.

Hic

Hic ubi Graiorum artificum miranda videbis
 Signa antiqua, tuæ gentis quibus ira pepercit,
 Abstinetque manus artem mirata vetustas.
 Ut de me fileam, vident' hos, qui robore multo
 Luctantem, ingratosque Deos, arasque vocantem
 Arrecti miserum spiris ingentibus hydri
 Laocoonta ligant? Ut anhelat! ut ore supremum
 Ingemit! ut socios implorat, opemque propinqui
 Herculis! Ipse quidem casum dolet, & cupit angues
 Elifisse manu, ac primos iterare labores
 Phidias labor Alcides; sed enim aspera Juno
 Heroa immeritum dum grandine pulsat & imbri,
 Non tantum orbavit clavâ, exuviisque leonis,
 Verum & poplitibus nervos, humerisque torosa
 Brachia divellit, fecitque ex Hercule monstrum
 Informe, ignaræque (nefas!) ludibria turbæ.
 Ast illum informem licet, & sine nomine truncum
 Miratum huc Ararim veniunt, Rhenumque bibentes,
 Et vivos illinc discunt effingere vultus.
 Cetera quid memorem? Nilum, Tybrimque parentem
 Spirantes docto in silice, Eridanumque Tagumque
 Nativo fulgentem auro, Gangemque superbum
 Eois opibus, quos omnes dædala, & ipsi
 Æmula Naturæ finxit manus? Hic habitant Dii.
 Aurato hic Phœbus percurrit pectine chordas:
 Hic gelidam fundit proles Semeleia lympham,
 Pocula, deliciasque tuas: hic otia degunt
 Mercuriusque, minaxque rubenti casside Mavors,
 Et magni Æneæ genitrix, & candida Phœbe,
 Omnes aut Divi, aut Divum genus: unaque deerat,
 Quam studiis, vultuque refers, factisque, Minerva.
 Huc & ALEXANDER (Fabium tunc nomine dici

E

Au-

Audieram) indocti fugeret cùm murmura vulgi,
 Nobiliumque manus juvenum comitata solebant
 Ferre pedem, hïc tristes animo deponere curas;
 Dulcia securæ ducentes gaudia mentis.
 Vidi ego, & in cubitum surrexi oblita doloris,
 Incessumque viri observans & lumina, dixi:
 Aut Babylon ignara futuri; aut hic erit, hic vir,
 Olim qui Latiam regnando restituat rem,
 Qui veteres artes, & sæcula prisca reducat,
 Iratasque pio componat fœdere gentes,
 Quamquam animi flecti indociles, & vulnera tactu
 Crudeſcant, medicamque manum impacata recusent.
 Quò properas? ne, Diva, oculis te subtrahe nostris:
 Namque ego te rerum seriem, eventusque docebo,
 Qui super heroum sedes, super æthera tollent
 Nomen ALEXANDRI, sub mortem plurima quando,
 Et longè faciem venientis cernimus ævi.
 An te proxima silva trahit, studiumque ferarum?
 Non ibi torvus aper, non duris unguibus urſi,
 Quos jaculo cecidisse tuo sæpè horruit Arctos
 Utraque; sed cervi imbelles, capreæque fugaces,
 Pictarumque cohors non invadenda volucrum.
 Quin etiam casus, & mors ingloria ab altis
 Imminet arboribus: nam quæ nux pinea curvo
 Strata jacet campo, Satyros quam ludere circùm,
 Metirique vides thyrsos, suâ ab arbore nuper
 Decidit, & magno tellurem perculit ictu.
 Adde, quòd inclusus Boreas, Eurufque, Notufque,
 Et quotquot sævis agitant plangoribus æquor,
 Illâ turre fremunt everſuri omnia latè:
 Quàmvis sub tanto cohiberi Principe venti
 Non indigentur, veniantque ad jussa volentes,

Jam-

Jamque parent iterum Scythicas illidere puppes
 Leucatae. Ah diram Leucatam, & conscia luctus
 Saxa mei! heu dolor, heu cladis monumenta nefandæ!

IMMINENTE JAM AUTUMNO
 INVITAT AD RUSTICANDUM.

Recitatum in Academia Humoristarum.

Pater Quirine, tuque Mater urbium,
 Strepente semper æstuans negotio,
 Diu valete; tuque lympha nobilis,
 Ubi erudita Pallas ora proluit,
 Paterque Phœbus aureum lavit caput.
 Vocant enim beata ruris otia,
 Chorusque mollis innubarum Oreadum,
 Ioque Bacche, Mœnadum frementium,
 Quibus reclamatione ore Bacchus ebrio
 Caput corymbo amictus, atque pampino
 Decora vinctus implicante cornua;
Bibamus, eia, tempus, eia Mœnades.
 Eamus ergò. seu vetusta Tiburis
 Juvat videre tecta, sive Tusculum.
 Sed omnis antè cura acerba pectoris
 Recedat usque ad ultimam Britanniam,
 Laborque durus inquietus exulet.
 Amor sit unus, una cogitatio,
 Carere amore, cogitationibus.